

CAP. XVI.

OLEA VOLATILIA,

OLIM,

OLEA STILLATITIA, vel
ESSENTIALIA.

OLEA VOLATILIA

HERBÆ MENTHÆ PIPERITÆ FLOREN-
TIS,

HERBÆ JUNIPERI SABINÆ,

SUMMITATUM FLORENTIUM RORIS-
MARINI OFFICINALIS,

SPICARUM FLORENTIUM LAVANDU-
LÆ SPICÆ,

SEMINUM PIMPINELLÆ ANISI,

BAC-

BACCARUM JUNIPERI COMMUNIS,

RADICIS LAURI SASSAFRAS,

FRUCTÛS MYRTI PIMENTÆ,

EODEM ferè modo parantur ac Aquæ Stillatitiæ, nisi quod hic aqua parcius adjicienda est. Semina et lignosa prius contundenda aut radenda sunt. Oleum cum aqua elicitur, et prout levius aut gravius fuerit, vel hujus superficiei innatat, vel fundum petit, postea separandum.

PORRO, notandum est de Aquis et Oleis his Stillatitiis parandis, quod multa hîc adeò varia contingere necesse est, pro rerum bonitate, compage, anni tempestate, et similibus, ut norma certa et generalis, quæ unicuique exemplo frictius conveniat, vix possit præscribi; quocirca, omisiss multis ipsius opificis judicio variandis, præcepta tantum maxime generalia traduntur.

OLEUM

110 OLEA VOLATILIA.

OLEUM SUCCINI ET ACIDUM SUCCINICUM.

R_x. Succini in pulverem triti,

Arenæ puræ, partes æquales.

COMMIXTA immitte retortæ vitreæ, cujus dimidium impleant. Adaptato excipulo amplo, fiat destillatio ex arena, igne gradatim aucto. Primò, liquor aquosus cum paululo olei flavi; dein, oleum flavum cum sale acido; postea, oleum subrubrum et nigrum, destillabit. Liquor ex excipulo effundatur, et oleum ab aqua separetur. Sal acidus à retortæ collo et excipuli lateribus collectus, inter plicas chartæ emporeticæ comprimatur, ut ab oleo adhærente liberetur; dein, solutione in aqua calida et crySTALLIZATIONE, fiat purus.

OLEUM

OLEUM SUCCINI PURISSIMUM.

OLEUM Succini e retorta vitrea, aquæ sextuplo addito, destillet, donec aquæ duo trientes in excipulum transferint. Dein, oleum hoc volatile purissimum ab aqua separetur, et in vasis bene obturatis fervetur.

OLEUM TEREBINTHINÆ VOLATILE
PURISSIMUM.

℞. Olei Terebinthinæ volatilis libram
unam,

Aquæ libras quatuor.

FIAT destillatio, quamdiu prodit oleum.

CAP. XVII.